

dum pro peccatis institutas, Evangelio ad-  
versari. Har. Fabr. pag. 262.

Et post pauca ; pag. 264. Eadem ratio-  
ne indicta sunt jejunia, solennes preces &  
laudes Canonicae, ut hujusmodi mediis  
divinam gratiam, & remissionem pecca-  
torum mereamur.

83. *Subscribit his etiam Iesuita Bellarminus, afferens Ceremonias aliquas traditionum humanarum vim habere spirituales: obligare eas in Conscientia: esse res utiles, meritorias & partem quandam cultus divini. Tom. 2. pag. 261, 264, 266. Tom. 1. pag. 1020.*

84. *Ceterum opinio isthac obscurat doctrinam de gratia & justitia fidei: meritum Christi evacuat: labefactat verum cultum divinum: ever-  
rit precepta DEI: laqueos denique desperatio-  
num Conscientijs iniicit.*

85. *Et sanè meritum Christi per observantiam traditionum sub opinione meriti tolli, aut certe enervari, vel inde manifestum est, quòd meritum merito conjungitur, humanum nimirum divino: ubi tantum divino Christi merito derogari, quan-  
tum humano arrogatur, res ipsa loquitur.*

86. *Hinc tanto tenebrarum & ignorantiae me-  
riti Christi gurgite absorptus fuit Orbis Christia-  
nus superioribus seculis sub Papatu, ut citius ex  
pumice aquam expresseris, quam ex universa*

Scho-